

244 Della Historia di Corfù.

tatis, & Insulæ Corphiensis, de sua immensa benignitate, & gratia speciali, promisit.

I. Promisit Ducalis Excellentia vniuersos, et singulos homines Ciuitatis, et Insulæ Corphiensis, cum tota Insula, terris, et castris, et locis sibi pertinentibus, habere, tenere, regere, et gubernare perpetuò, sub dominio, et protectione sua; ipsosque protegere, et defendere; ac dictam Ciuitatem, et Insulam, Castra, et loca eius, nulli vnquam Domino, Communitati, Magnati, vel Principi orbis terræ donare, alienare, vendere, vel permutare, aliqua ratione, vel causa, titulo, vel modo.

II. Item, vt omnes sentiant humanitatem nostri Domini, vult Ducalis benignitas, quod omnia, et singula delicta, excessus, et crimina perpetrata olim in dicta Ciuitate, et Insula Corphiensi, et residua debita Curie per Corphienses facta pro donatiuis Dominorum præteritorum, à tempore præterito vsque in diem, quo vexillum S. Marci extitit eleuatum, generaliter, et specialiter remittuntur, et perpetuò relaxantur; ita tamen, quod per hoc non derogetur promissionibus, quæ contrafactæ fuerunt per Nobilem virum Ioannem Miani, Capitaneum Culti, in assumptione possessionis Ciuitatis, et Insulæ supradictæ, vel loci de Butrintò; et similiter quod hæc locum non habeant in aliquibus, quæ cum aduersarijs eorum pacificatis forent, ad recensendas materias iurgiorum.

III. Item, contenta est Ducalis benignitas, quod omnes homines, qui erant, et habitabant in Ciuitate, et Insula supradicta tempore, quo prædictus vir nobilis Ioannes Miani, nomine prædictæ benignitatis Ducalis, habuit pacificam possessionem earum, habeant, et teneant, pacificeque possideant omnes domos, terras, campos, vineas, Baronias, et Feuda cum eorum vassallis, et villanis, ceteraque omnia alia eorum bona